



195. 42.
Fl. 17.

CONGRATVLATIO

EGREGIO,
SVMMAQVE PIE-
TATIS ET ERVDITIONIS
LAVDE ORNATISSIMO IUVENI,
AVGVSTINO ZELMERO LANDISHVTA-
no Boio, cùm 5. Septembris in florentissima
INGOLSTADIENSI Academia Artium Ma-
gister, & Philosophiæ Doctor, publicè ac
solenniter inauguraretur, amicitia
bonique ominis ergo in-
scripta

AUTORIBVS

SEBASTIANO VVEININGO, &c. PHI-
LOSOPHIAE CANDIDATO,

ET

LEONARDO GETT BRVNOVIENSI
Boio, Philosophiæ Baccalawreo.

INGOLSTADII

Ex Officina Typographica DAVIDIS SARTORII.

ANNO
M. D. LXXX.

*TETRASTICHON NUME-
RALE, ANNUM, MENSEM, DIEM
LOCVMQVE INAUGVRATIONIS, NEC
non D. Candidati nomen complectens,*

CONSCRIPTVM
A SEBASTIANO VVEININGO EPI-
SCOPIANO FRANCONI ARTIVM ET
Philosophiæ Baccalaureo eiusdemq;
nunc Candidato.

*Septe Mbr Is qV Inos So Les Vb Itang It Apo LLo,
AVgVst Ine, sa Cra Soph Ia fers a Ltera sarta
Ang LIpo LI fœ LIX, Et te Vrt Vt IbVs ornans,
Art IbVs Ingen VIs, Vera Et pietate refVL ges.*

CARMEN GRATVLATORIVM.

Hic iam tempus erat, quo presso taurus aratro
Ingemeret, sulco & tritus splendescere vomer
Inciperet: rursus iam sedulus ille colonus,
Vnde per æstatem largo cum fœnore messes
Accipiat plenas, mandabat semina terra.

Cum Sol per seui graderetur terga Leonis,
Ecce super solita Musarum sede sedebam,
Multa mouens animo, repetens & pectore duram
Heresæon cladem, qua dira pericula tentant
Christicolis; superas idcirco in luminis oras
Tot tantas scelerum facies prodire dolebam,
Illorum fastus etiam miratus inertes,
Aurea qui Sophiæ contemnunt dogmata, nec non
Quicquid Aristotelis miranda volumina tractant:
Dicere nec metuunt Stagyrea per ardua duci
Errores cæcos, scelera & mendacia spargi
In vulgus noctis penitus caligine septum.

O impostores stolidi! ô errore maligno
Impliciti! nam quid vesania vestra veretur
Carpere? quid stolido non pectore temnitis vnquam?
Spretaiacet vobis pietas, rectiq; cupido;
Virtus discutitur, passim seuitur in artes
Ingenuas; Musis honor & laus omnis adempta est.

Dum verò nunc huc nunc illuc diuido mentem,
In partesq; traho varias, per cunctaq; verso,
Multa super Sophia meditans, & honoribus altis:
Ecce pede accelerat veloci Boius Apollo,
Aurea sceptrâ gerens dextrâ, ramumq; virentem:
Et Charitum veneranda cohors comitatur euntem,
Quin etiam sacri dulces Heliconis alumnae
Approperant omnes, portantes florida ferta,
Ingressæq; domum, placida me voce salutant.

C A R M E N

Ille animum blandis dictis solatur, & inquit:
 Pectoraque, iuuenis, facies tristissimarum
 Turbat? quidue alta incassum suspiria ducis?
 Tristitiam remoue, & variam de pectore pelle
 Curarum molem, nil perfida dogmata curans;
 Quod periit, temere mortalia vota requirunt:
 Hæretici promunt mendaci gutture multa,
 Pauca tamen valida possunt ratione probare.
 Ille etsi Scythico crudelior hoste Lutherus,
 Atque alij artifices scelerum, sectæq; Magistri
 Hæreticæ, veterum temnentes scripta Sophorum
 Ad Phlegetontis aquas Stagyreia dogmata trudent:
 Attamen inueniuntur adhuc, qui corde sagaci
 Hæc venerantur, amant, nec non super æthera tollunt.
 Præterea multi noctes tacitasq; profundasq;
 Innumerosq; dies Musas sectantur, & altis
 Anguntur curis, Sophiæ penetrando palastras
 Herculeas, duris iactati sæpe periculis.
 Aspice ZELMERVM iuuenem, multa arte politum,
 Qui primis subito Musas sectatus ab annis,
 Frigora dura ferens hyberno tempore, & æstus
 Ardentes æstate graui; nunc ille laboris
 Præmia digna feret, iam iam numerabitur inter
 Doctores alios Sophiæ, cum tempora laurus
 Velabit viridis, venturo tempore florens:
 Viuida dat virtus laurum, sed laurus honores
 Claros; sic honor & virtus miscentur in vnum.
 At quod figmentis nullis, nugisue referta
 Sit Sophiæ ars operosa, quod & mendacia nulla
 Seminet in vulgus, paucis, aduerte, docebo.
 Hanc hominum generi summo demittit Olympo
 Iupiter, atque animis lecta pro dote reponit:

Hæc

GRATULATORIUM.

Hæc potis est falsas hominum depellere fraudes,
 Hæc procul ipsa fugat seætas, & tela dolosa
 Hæreticæ turbæ; nodo contexta tenaci
 Argumenta aperit, male sana sophismata rite
 Diluit, à falso gaudens discernere verum.
 Ergo descendens rutilo sapientia Cælo
 Non figmenta refert, nulla & mendacia spargit:
 Non sed enim nuga supero mittuntur Olympo;
 Vanus amat vanum, studia & studiosus amantem
 Non odit, Musæ unanimi quia fœdere viuunt.
 Si fraudes igitur solers sapientia pandit,
 Et scelerum facies aperit, variasq; refellit
 Errorum species, non mendax illa vocatur:
 Nam (veluti perhibent Logici) contraria semper
 Mutua se expellunt, neque in vna sede morantur:
 Talia dicta dedit, tenuesq; recessit in auras.
 O Sophia! ô vitæ dux! ô lux maxima rerum,
 Quæ facis insignes homines, & honoribus aptos;
 Quæ labes animi reprimis, vitiisq; repurgas
 Pectora; quæ miseris hominum succurrere rebus
 Pandis iter, mirè exhilarans iuuenesq; senesq;
 Te te inuentricem legum, morumq; Magistram
 Mortales homines norunt, respublica cuius
 Absq; ministerio cadit, & reuerentia Diuûm:
 Te sine Relligio, retro dilapsa, labascit.
 Te laudent igitur Phæbeo carmine vates,
 Quos sacer intus agit summo datus æthere flatu.
 Pandite Pierides sacræ Penëia tempe,
 Pandite, nam nobis res illustranda Camœnis
 Suauibus occurrit, Diuûm quo numine, quidûe
 ZELMERVM iuuenem duos tot adire labores,
 Tamq; diu tantam studiorum voluere molem
 Impulerit, tantos donec sentiret honores.

C A R M E N

*Vrbs antiqua iacet, partim frondentibus agris,
Et partim celsis redimitur montibus illa:
Fœlix ingenis; & opum ditissima, & equis
Legibus exculta, & tumidis uberrima botris,
Quam LANDISHVTA M Boij dixere coloni:
Hanc quoque CONRADVS vera pietate fidelis
ZELMERVS genitor colit, & succensus amore
Dilectæ sobolis, postquam fundamina prima
Ritè locasset ibi, ad BOIAS dimisit ATHENAS:
Ille equidem mentem sobolis virtutibus auxit
Eximiis, largus quoque cuncta optata ministrans;
Hæ verò iuuenem Musis fecere politum.*

*Promite Pierides noua carmina, promite cantus
Latisonos, virtus iuuenis præclara meretur:
Virtus, quæ rebus duris agitata virescit,
Et robur Zephyris spirantibus undiq; seuis
Concipit immensum, viresq; acquirit eundo,
Persuasit ZELMERIADI, fixumq; medullis
Reddidit, ut tantos demum sequeretur honores.*

*Promite Pierides noua carmina, promite cantus:
Nam ZELMERIADES cætus pars ardua nostri
Ingreditur, minimè curans perferre labores,
Frigoris algorem patiens, nihiliq; calores
Immensos faciens, æquo sed cuncta volutat
Iudicio, atque pari perponderat omnia lance:
Non siquidem claros socordia gignit honores;
Sed labor insignes didicit celebrare triumphos,
Atque iter ad roseas sudor monstrare coronas.*

*Promite Pierides noua carmina, promite cantus;
Sic etenim virtus iuuenis præclara meretur:
Vnde emanat honos? celebris proficiscitur vnde
Gloria? quid iuuenes addiscere concitat artes?*

Cognitio-

GRATULATORIVM.

Cognitionis amor stimulat^r laudis amore;
Cognitio verò summos diffundit honores.
Ergo laborasti noctes vigilando profundas,
Et labor à cæpto te non deterruit vnquam:
Nam labyrinthos didicisti soluere nodos,
Naturam simul indagans, abstrusaq; cuncta
Hactenus exquirens Sophiæ mysteria sancta;
Nec te pœniteat; nam præmia digna laborum
Lux hodierna dabit, toto spectante Lyceo.

Promite Pierides noua carmina, promite cantus:
Sic etenim virtus iuuenis præclara meretur.
O iuuenis fœlix! ô terq; quaterq; beatus,
Omni per vitam cui sedulitatis inhæsit
Ardor! nunc caput ecce tuum velatur honore
Purpureo, & laurus serpit tua tempora circum.
Quid mirum? emeriti studiis debentur honores,
Merces virtutum & debetur digna labori,
Qua sine virtutum, & Phœbi decus omne periret.
Ergo mactè nouo iuuenis virtutis honore,
Cum reliquis gaudens sociis accede triumphos.

Promite Pierides noua carmina, promite cantus
Latifonos: ZELMERIADES spes magna parentis
Magnam letitiam nunc pectora concipit intra,
Fausto quòd cursu Sophiæ tranauerit æquor.
Exultant meritò talem genuisse parentes
Indolis egregiæ sobolem; letatur & ipsa
Vrbs patriæ cassis, Bauaræ lux inclyta terræ,
Quam stridens Isaræ quoque præterlabitur amnis:
Gaudent cognati, & cuncti letantur amici;
Omnia letitia resonant, diffundit Olympus
Gaudia, dans cantus hilares, & iubila læta.

Hac

CARMEN GRATULATORIUM.

Hac ego pauca tenus Phæbeo percitus æstro.
Lusi, si vellem maiori dicere versu:
Plura, chelyn tua laus superaret maxima nostram.
Ergo nouum ZELMERIADES decus addite Musis,
Gratulor ipse tibi, procedunt ordine Musæ
Ac studiosa cohors Sophia, Sophiæq; Magistri
Gratantes hilares; læto nunc corde Lyceum
Ingredere, vt capias Sophia Doct̃oris honores:
Ingredere ò iuuenis magnum patris ornamentum,
Nomine iamq; nouo Sophia dicare Magister:
Nunc sperata quies, nunc expectata voluptas
Venit, & ingressa est victo ratis equore littus.
Quocirca, structis fumant conuiuia mensis,
Ingredere, est tempus plenis accūbere discis.
Det DEVS æthereus, Lunam qui cornibus implet,
Et Solē radiis, latum moderatur & orbem,
Vt fortunati tibi sint, dum viuis, honores.
Hac ego mente precor sincera, det DEVS idem,
Ne vacuas, oro, volitent mea vota per auras.

L A V S D E O.

Ma 3537
8

ULB Halle 3
004 976 614




TA 70L

mi

G







CONGRATVLATIO

EGREGIO,
SVMMAQVE PIE-
TATIS ET ERVDITIONIS
LAVDE ORNATISSIMO IUVENI,
AVGVSTINO ZELMERO LANDISHVTA-
no Boio, cùm 5. Septembris in florentissima
INGOLSTADIENSI Academia Artium Ma-
gister, & Philosophiæ Doctor, publicè ac
solenniter inauguraretur, amicitia
bonique omnis ergò in-
scripta

AUTORIBVS
SEBASTIANO VVEININGO, &c. PHI-
LOSOPHIAE CANDIDATO,
ET
LEONARDO GETT BRVNOVIENSI
Boio, Philosophia Baccalawreo.

INGOLSTADII
Ex Officina Typographica DAVIDIS SARTORII.

ANNO
M. D. LXXX.

